

## Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. I. 1905, pg. 47—54.)

### § IV.

#### De Definitoribus.

##### I.

#### De electione Definitorum.

Electio Definitorum fiebat una cum electione Abbatis Generalis (VII, 5)<sup>1)</sup> et in ea tantummodo potiebantur voce passiva Capitulares, exceptis Abbate Generali, Socio, Secretario et Definitoribus finiti quadrienni (15). Eorum numerus nec maior nec minor quam novem esse poterat (20) et assumendi erant ex totidem Domibus Congregationis (11). Schedulae computabantur et remanebant in capsula tribus clavibus clausa (23) usque ad sequentem sessionem feriae II, quae incipiebat post Missam, in loco Capituli per Monachum ab Abbate Generali praevie designatum, celebratam (VIII, 1.). Novem ergo Capitulares, qui maiorem numerum suffragiorum obtinuerant, servatis servandis, declarabantur Definitores, et sex alii Electores cum ipsis Abbatiarum Capitularium, sed hisce cum conditionibus: a) ut hi Electores assumerentur ex Abbatibus finiti quadriennii (3), b) ut essent ex diversis Monasteriis, tum inter seipsos, tum respectu Definitorum (4), et c) ut in aequalitate suffragiorum pronuntiarentur antiquiores habitu (5).<sup>2)</sup>

Si autem in primo scrutinio non inveniebantur suffragia pro quindecim Monachis totidem Monasteriorum, fiebant electiones illorum, qui ad numerum implendum deficerent servatis servandis (12) et in hac computatione suffragiorum, si paria essent, praeferendi erant, qui fuissent Generales aut Definitores vel Abbates et inter istos, qui pluries et praecipuorum Coenobiorum (14).

Electionibus hisce completis et facta scriptura, quae subscribenda erat a Praeside Capituli, Secretario et Definitoribus antiquis, horum Primus publicabat electionem novorum Definitorum atque Electorum Abbatiarum (17—18). Si postmodum aliquem Definitorum comperiebatur electum fuisse Abbatem Generalem, eius locus nova electione implebatur, exclusis professis Coenobii

<sup>1)</sup> Innocentius XI, »Exponi Nobis« 30. Jan. 1681. Antea fiebant diversis sessionibus, ut patet ex antiq. Constitut. cap. VI.

<sup>2)</sup> Post Bull. Benedicti XIV, »Nuper« 24. Martii 1749, decretum fuit in Capitulis 1773—81, ut unicuique Provinciae, seu districtui, tribuerentur duo Definitores totidemque Electores, aut tres Definitores, unumque Electorem. (Muñoz, § I. n. 7.)

Generalis (21—22), si vero postea vacabat „alia ex causa“ numerus Definitorum, implebatur cum Electoribus, qui tamen ultimum gradum occupabant, nisi fuissent Abbates Generales (15, 19).<sup>1)</sup>

Definitoribus competebat electio Abbatum Coenobiorum Capitularium tum tempore Capituli (IX, XI integre, XXXIV, 4), aut immediate post illud, si electi non acceptaverant (XXV, 3, XXVI, 3, et XXXIV, 6), tum etiam extra tempus Capituli (XXVII, 8—10, 12, 21 etc. XXXIV, 4). Item cum Abbate Generali pariter faciebant electiones Magistrorum et Praedicatorum Generalium (XXII, 9—XXXIV, 6), Secretarii Capituli (XII, 2) et Abbatis Generalis (XXIII, 4, XXXIV, 8); item eligebant cum eodem Generali Vicarios Monialium (XXV, 4), et Missionis Anglicae (5), Concionatores Monasteriorum, Lectoresque tam pro ipsis, quam pro Collegiis (10), Regentes Collegiorum (11), et Procuratores Vallisoleti et Portus Brigantini (14, et XXI, 19) etc. etc. Ad ipsos etiam pertinebat scrutari omnes electiones Capituli Generalis (XXXIV, 5), ordinare, statuere, et ferre leges pro universa Congregatione; Acta Capituli, computa, taxasque Monasteriorum in libris descripta subscribere (8). Praeterea, si opus erat, ipsis competebat quoque iudicare ultimum Abbatem Generalem, eiusque ministros et officiales, atque praeteritos Definitores (9) cap. XVII.

Post celebrationem Capituli Generalis dispersebantur Definitores per Districtus Congregationis (XXVII, 2) in quibusdam ex praecipuis Monasteriis, in quibus habitare malebant, et ipsis etiam licebat residentiam mutare; cautum tamen erat, ne duo in eodem Coenobio degerent, neque se coniungerent, nisi in quibusdam circumstantiis per Constitutiones iam definitis (3, 4). Abbas Generalis, si necessitas aut opportunitas id postulabat, licentiam eis concedere poterat, ut transirent ab uno Districtu ad alium. (ibi.)

In omnibus Monasteriis locum obtinebant post Praelatum et eos, qui Generales fuerant. (XXXIV, 1.) Eximebantur ab officio Hebdomadarii in Choro et a Missa conventuali (ibi. 2, lib. 2, XIX, 5). Missas propria intentione celebrare ipsis licebat, exceptis iis, quae applicandae erant pro Defunctis Congregationis et parentum aut fratrum Monachorum (2). Tres priores Definitores erant Iudices pro omnibus causis Congregationis, secundum quod in Constitutionibus praescribebatur (VII, 20; XXXV, 28), ideo durante quadriennio carebant voce passiva ad quodcumque aliud munus (XXXIV, 1.), praeter Generalatum (VIII, 23). Reliqui vero Definitores eligi poterant in Abbates Coenobiorum extra Capitulum (XVII, 17).

<sup>1)</sup> Capitula 1757—65 decreverunt ut deficiente aliquo ex Definitoribus in eius locum succederet Elector eiusdem Provinciae... Si vero deficerent plures Definitores quam erant Electores, non provideretur excessus usque ad proximum capitulum Generale. (Muñoz, § 1. n<sup>o</sup>. 8.)

II.

De Definitoribus Iudicibus.

Definitores Iudices constituebant „Tribunale Gravaminum“ habebantque plenariam iurisdictionem, tamquam Congregationis Delegati, quoad omnia ad eorum officium spectantia, iuxta Constitutiones. (XXXV, 28.)<sup>1)</sup> Ipsorum causae criminales ab Abbate Generali, adhibitis duobus aliis definitoribus, et non aliter, cognoscendae erant, quod si hi Definitores in consilium Generalis non convenerint, causa remittenda erat ad Capitulum, excepta causa civili; tunc enim Abbas Generalis eos iudicare poterat sicut ceteros Congregationis Monachos (29). Ipsi Definitores cognoscere nequibant causas sui Monasterii, aut personae illis propinquae usque ad quartum gradum, ideo alius Definitor in huiusmodi iudiciis erat assumendus (30).

Severissime prohibitum erat omnibus Monachis recurrere ad quodcumque tribunal ecclesiasticum, vel saeculare, nisi ad tribunal Congregationis (2,<sup>2)</sup> neque in eo audiendi erant saeculares, qui Monachos denuntiarent (4) sub poenis in gravissimas culpas impositis, (5), sed exaudiri poterant, quando quis monachus eos tanquam innocentiae suae testes adducebat (4).

Etsi Abbates erant immediati iudices subditorum (11), et Abbas Generalis respectu huiusmodi Abbatum (14), et in quibusdam casibus etiam pro Monachis, qui extra claustra deliquerant (16), aut qui, intra claustra delinquentes, a suis Superioribus non puniebantur (18); tamen cum Praelatis tum subditis recurrere licebat ad tribunal Definitorum, quoties a Superiore immediato iniuriam passos fuisse existimabant, praesertim si multati fuissent privatione suffragii vel officii, reclusionem aut publicam poenitentiam, praecipue flagellationem („juicio en carnes“), ieiunio pane et aqua, aliisque similibus aut gravioribus (32).

Si contigerit, ut Abbas Generalis in casibus, in quibus monachis ad illum appellare licebat, eorum appellationem suscipere renuerit, tenebatur eius Socius aut Secretarius de hoc authenticum testimonium monacho tradere, ut ad Definitores recurrere posset, alioquin puniendi erant tanquam falsarii; et item Cellerarius Monasterii sub poena privationis perpetuae officii sui praestare quoque debebat eidem monacho omnia adiumenta, ut cum Definitoribus causam communicare posset (33). Definitor vero absque mora cogebatur tradere testimonium acceptae appellationis sub poena privationis Officii sui, exclusionis a Capitulo Generali vocisque activae et passivae in perpetuum (39).

<sup>1)</sup> Constitut. antiq. cap. XXV.

<sup>2)</sup> Urbanus VIII, »In Sacra B. Petri Sede« 5, Julii 1624.

Antequam Definitor socios suos vocaret, missurus erat ad Monasterium, ex quo appellatio provenerat, Monachum gravem ac maturum, qui ibidem informationem omnium, quae acciderant, exciperet et descriptam atque signatam sibi remitteret (40). Qua accepta, si ageretur de aliqua suspensione, processum ab Abbate Generali requirebat, isque tradere tenebatur sub gravibus poenis, si contra fecerit, praeterquam quod tunc Definitores habebant facultatem restituendi in officium personam laesam (43).

Acceptis ergo actis processus, tres Definitores Iudices, iuxta allegata et probata sententiam Superiorum confirmabant, aut revocabant (45), huicque iudicio vel ipse Abbas Generalis stare debebat (46). Sententia Definitorum ad Monasterium mittebatur, ut executioni mandaretur (ibi), etiamsi persona laesa appellaret ad Capitulum Generale, sicut per Constitutiones etiam concedebatur (48). Sed tunc Iudices Capituli, si noverint non fuisse iustam nec rationabilem causam appellandi, poenas monacho duplicare valebant, iuxta delicti gravitatem, aut, si incorrigibilis esset, a Congregatione expellere (54, XXXVI, 4), dummodo maior suffragiorum pars id faverit (2).

Porro incorrigibilis dicebatur, qui pluries admonitus, etiamque correptus ac punitus non emendaverit, sed in ipsa peccata gravia recidens, poenas, quas pro eis merebatur, adimplere renuerit, atque adhibitis orationibus Conventus, iuxta S. Regulam nihil profecerit; qui sex mensibus in carcere intrusus in sua pervicacia perseveraverit et tandem, qui ter a Monasterio aufugerit (1, 3).

### III.

#### De culpis et poenis.

Ad faciliorem iustitiae administrationem tam ex parte Definitorum quam aliorum quorumcumque Congregationis Iudicum et Superiorum erat in Constitutionibus caput, in quo definiebantur culpaeseu delicta et poenae in illa infligendae (XXXVI 1).<sup>1)</sup> Itaque culpaese dividebantur in quinque classes, scilicet; in leves, graves, gravissimas, in enormes et enormissimas (2) et in omnes impositae erant poenitentiae convenientes, non quod commissae fuissent, sed ad vitandum, in quantum fieri posset, ne committerentur (1.).

Culpa levis existimabatur transgressio minorum praeceptorum Stae Regulae aut Constitutionum et Ceremoniarum Congregationis vel Monasterii (3). Huius poenae erant: privatio portionis vini, verberatio supra tunicam, comedere in solo refectorii, ieiunare pane et aqua, portare fustem in ore, et deosculari pedes Communitatis in Choro aut in Refectorio (4).

<sup>1)</sup> Constitut. antiq. cap. 61.

Culpa gravis habebatur quoties transgressio erat peccatum grave seu directe contra vota Religionis, sed non habebat censuram in iure aut Constitutionibus (5). Poenae in hanc transgressionem erant: flagellatio publica supra corpus nudum, osculatio pedum omnium Monachorum, provolutio ante Conventum, quoties ingrediebatur Chorum aut refectorium; reclusio in Cella; claustrorum custodia; et incarcerationio, quae tamen ultra tres menses non perduraret (6).

Culpa gravissima censebatur quodcumque peccatum exterius consummatum contra vota essentialia Paupertatis, Castitatis et Inclusionis seu Clausurae aut quod contra obedientiam Praelato debitam externe, proterve aut audacter verbo aut opere committebatur; atque illa peccata, quae in Iure annexam habent infamiam, aut excommunicationem (8). Excommunicatio absolvenda erat conventualiter, flagellando deliquentem durante recitatione Ps. Miserere. Si vero peccatum censuram non habebat praeter poenas superius pro gravibus culpis positas, adicienda erat suspensio ab exercitio Ordinum, privatio vocis activae et passivae ad libitum Abbatis Generalis (cui potissimum competeat omnia haec imponere), atque degradatio in Conventu (9). Licebat tamen Religioso recurrere ad tribunal Definitorum.

Culpa enormis iudicabatur delictum, quod praeter infamiam iuridicam, canonicam vel civilem, habebat etiam publicam ignominiam aut damnationem ad triremes (11).

Hoc delictum puniendum erat carcere, dempto caputio atque tonsura duplicataque tempore, quod in triremibus patiendum erat, et praeterea poenis in gravissimas culpas ad libitum Abbatis Generalis iniungendis, itemque privatione perpetua ab omni officio et suffragio. Sic damnatus habebat etiam recursum ad tribunal Definitorum (12).

Denique culpa enormissima erat, quae praeter ignominiam iuridicam puniebatur damnatione perpetua ad triremes aut saltem ad decennium, atque degradatione ab Ordinibus, vel quae morte plectebatur (13). Poenae in hanc culpam infligendae erant; perpetua inclusio in carcere, dempto habitu, ieiunium pane et aqua ter in hebdomada, ceteris vero diebus cibis quadragesimalibus, atque dimidiata portione; publica verberatio prima die omnium mensium in Capitulo, ad quod ingressurus erat poenitens compedibus atque fune ad collum alligato; suspensio perpetua ab exercitio Ordinum; ceteraeque poenae aggravari poterant ad libitum Abbatis Generalis. Huiusmodi damnato patebat quoque via ad tribunal Definitorum (16). Abbas Generalis dispensare nequebat hisce in casibus a Constitutione definitis neque poenae remitti poterant in Capitulo Generali, nisi post duodecim annos poenitentiae, et praehabita informatione Iudicum, qui ad hoc in Capitulo designabantur (16).

§ V.

De electione Abbatum.

I.

Electio ordinaria.

Post publicationem novorum Definitorum, omnes Abbates, prostrati ante Praesidem et Capitulares, veniam petebant, et a regimine absolvebantur (IX, 2).<sup>1)</sup> Deinde, promulgatis censuris, quas ad novas electiones faciendas Praeses Capituli ferre consueverat, secundum Constitutiones (4), novem Definitores cum sex Electoribus ingrediebantur Conclave, ubi manebant, donec omnibus Monasteriis Capitularibus Abbatem providerent (6). Singuli Abbates tradebant eis elenchum Monachorum in suis Monasteriis degentium, qui secundum Constitutiones ad munus Abbatiale assumi poterant (7), idem faciebat Praeses Capituli ex omnibus monachis Congregationis (9).

Porro eligibiles erant, qui in Collegiis Congregationis per duodecim annos studiis vacaverant atque in eadem saltem quindecim annis vixerant; aut qui ingressi fuerant cum gradu baccalaureatus in Sacra theologia, vel iure canonico, et duodecim annos habitus impleverant; alioquin requirebatur vigessimus annus habitus iam adimpletus (X, 2). Praeterea necessarium erat ut antea munus aliquod in Congregatione, vel Monasteriis exercuissent; videlicet: Definitoris, Visitoris, Secretarii Capituli aut Abbatis Generalis, Praepositi Domus Capitularis, aut filiationis, huius etiam Abbatis, Cellerarii Domus Capitularis, Concionatoris principalis,<sup>2)</sup> Lectoris in Collegiis, Procuratoris in Curiis regiis, Magistri Novitiorum, aut Clericorum.<sup>3)</sup> Ceteri omnes prorsus excludebantur.

Erant inhabiles quoque: a) Abbates tunc in Capitulo absoluti, si plus biennio regimen habuerant;<sup>4)</sup> b) qui ab officio fuerant

---

<sup>1)</sup> Constitutiones antiq. cap. VII. Duratio regiminis Abbatum huius Congregationis fuit multiplex. Initio Congregationis eligebantur, sicut Piores, ad biennium, (Yepes, V, 340; Privilegia, 128, Innocentius VIII. »Inter curas multiplices« 19. Martii 1489) deinde Abbates fuerunt triennales. Monachi apud Matritum Congregati statuerunt ut perdurarent in officio sex annis, sed paulo post, anno 1578 revocatum fuit ad triennium, et tandem ab initio sac. XVII usque ad finem Congregationis eligebantur ad quadriennium.

<sup>2)</sup> Capitula Gen. 1801–05 incluserunt etiam »Praedicatores secundos« (Ms. n. 21.)

<sup>3)</sup> Pro Monasteriis, quae habebant iurisdictionem quasi episcopalem, ut Sohaguntinum, Najarense, Sanaemilianense, Montserratense (Cathal.) Samonense et Exlonzense, requirebantur in candidatis speciales qualitates (10) Idem tenendum erat in electione aliorum praelatorum huiusmodi locorum. (Lib. 2. XXXIV. 1.)

<sup>4)</sup> Aliquando iterum electi sunt Abbates, licet gravibus causis excusantibus, sed Capitulum Generale 1725 ad instantiam Rmi. P. Ant. Sarmiento, decrevit, ut in posterum non fierent huiusmodi electiones (Muñoz, § IV, n. 2).

suspensi; c) qui voluntarie cesserant post biennium ab electione, d) qui per sententiam voce passiva caruerant; aut qui a Coenobio aufugerant, et tandem e) qui quattuor mensibus ante Capitulum Generale ad Monasterium, ubi celebrabatur transierant, aut tunc erant ibidem hospites, etiamsi negotiorum causa petissent (4—7). Interdictum quoque erat, ne sibi succederent propinqui usque ad tertium gradum inclusive (9) neve assumerentur ex eodem Coenobio plures quam quatuor monachi (8).<sup>1)</sup>

Lectis ergo a Definitoribus, quae ipsis tradita erant, nominibus Monachorum, fiebant electiones novorum Abbatum (XI, 1.), primo quidem pro Monasteriis Matriti, Hispalis et Salmanticae,<sup>2)</sup> deinde pro reliquis secundum ordinem seu gradum Capitularem,<sup>3)</sup> sub poena nullitatis electionum (4), et in scrutinio servabantur, quae supra in electione Abbatis Generalis dicta sunt (6—11). Verumtamen ceteris paribus praeferendi erant filii Monasterii (2), et inter hos, qui, postquam illum rexerunt, exactius adimpleverant munera Prioris, Magistri Novitiorum vel Clericorum (3).

Postea fiebant electiones Abbatissarum (4), quibus expletis, Secretarius conficiebat instrumentum authenticum electionum, quod a Definitoribus et Electoribus subscribatur (12). Electiones, vero, publicabantur in ultima Sessione Capituli Generalis (ibi. XXIV, 7) et Electis concedebatur terminus trium dierum ad deliberandum (XXVI, 3), quod si iniunctum munus, iustis de causis, suscipere nolebant, et Abbas Generalis in idem consenserat, et Definidores adhuc in loco Capituli remanserant, ab eis facienda erat nova electio, servatis servandis; si vero iam inde discesserant, servanda erant, quae praescribentur pro electionibus extraordinariis. (ibid.)

---

<sup>1)</sup> Per Const. »Nuper« Bened. XIV, decretum est, ut unicuique Provinciae tribuerentur decem Abbatiae, et quae supererat provideretur ad libitum Abb. Generalis. Deinde an. 1765 Capitulum tolli iussit Abbatiam de Bueso ex numero Capitularium (Muñoz, ibi. n. 9) quae omnino expuncta fuit an. 1789. (Trasunto, n. 17.) Praeterea capitulum 1773 disposuit, ut Abbatiae Collegiorum, et S. Petri de Villanueva et S. Petri de Tenorio cum Generalatu alternis vicibus inter Provincias providerentur. (Muñoz. § 1. n. 10.)

<sup>2)</sup> Capit. Gen. 1621—29. Innocentius XI. »Exponi Nobis« cit.

<sup>3)</sup> Ab hac lege excipiebatur Monasterium Montisserrati Cataloniae, quod ab initio saec. XVII. obtinuerat privilegium eligendi proprium Abbatem. Anno vero 1717 petentibus monachis, Clemens XI, ad instantiam Regis Catholici, decrevit, ut huiusmodi electio pariter pertineret ad Capitulum Generale, quod postea confirmavit Benedictus XIII. Constit. »Alias Charissimi« dat. 19. Aug. 1726, (Bull. Rom. XII, 116—18.) in qua fusius de hac re Agitur. Fallitur, ergo, novissimus scriptor historiae illius Monasterii dum dicit haec Decreta pro universa Congregatione data fuisse (Crusellas, O. S. B. Nueva historia de Montserrat, pag. 428, edit. Barcelona 1896), quia Congregatio Vallisoletana, ab initio saec. XVII ad finem usque ipsius, semper eandem formam eligendi Abbates servavit.

II.

Electio extraordinaria.

Fiebat electio Abbatum extraordinaria quoties durante quadriennio vacabat, exceptis tribus mensibus ante Capitulum Generale. (XXVII, 26.)<sup>1)</sup> Si Abbatia vacabat promotione Praelati ad aliud munus incompatible aut ipsius renuntiatione vel morte, Abbas Generalis accepto nuntio, arcessurus erat. Definitorum illius Districtus seu Provinciae, ad quam Monasterium pertinebat, totidemque Abbates viciniore (12). Defectum Definitorum supplere licebat cum Abbatibus aut Capitularibus (ibi.). Hi omnes sub Abbate Generali cum eiusdem Secretario atque Praelato Domus, ubi tunc manebat, congregati, celebrata Missa de Spiritu Santo praemissoque consueto iuramento, faciebant electionem novi Abbatis, servatis servandis in hisce electionibus (15). Voce passiva poterantur omnes Capitulares Congregationis, etiam Definitorum non Iudices atque Electores, necnon Abbates aliorum Monasteriorum professi Abbatiae vacantis; Non vero a) Definitorum Iudices; b) neque Monachi eiusdem Coenobii ultimi Abbatis, nisi erant in propria Domo (16); c) neque qui, cum Abbatia vacavit, nondum voce passiva gaudebant (19); d) neque qui Abbatiale munus renuntiabant; e) aut eo privati fuerant (18). Factae electionis authenticum instrumentum, ab Abbate Generalis ceterisque subscriptum, mittebatur ad Monasterium, ubi electus degebat, ut Superior de electione ipsum certiore redderet (20).

Si Abbatia vacabat suspensione Praelati, hincque sententiae parebat, fiebat electio, ut supra dictum est (21). Si vero appellavit ad tribunal Definitorum et hi sententiam confirmarunt, Abbas Generalis ad novam electionem assumere debebat alios Definitorum illi Monasterio propiores, etiamsi ex alio Districtu, minime vero Iudices (22).

Provisio Collegiorum ceterarumque Domorum, quae saltem tres monachos vocales habebant extra tempus Capituli, spectabat unice ad Abbatem Generalem,<sup>2)</sup> qui tenebatur observare statuta pro electionibus, praecipue ut numquam in eadem Domo sibi succederent duo monachi eiusdem Monasterii (25).

§ VI.

De Secretario Capituli atque Abbatis Generalis, huiusque Socio.

I.

De Secretario Capituli Generalis.

Feria III, in prima Sessione, eligendus erat Secretarius

<sup>1)</sup> Constitut. antiq. cap. XXII.

<sup>2)</sup> Urbanos VIII, »In supremo« 18. Julii 1634, Clemens IX. »Nuper pro parte« 15. Dec. 1667; Innocentius XI. »Exponi Nobis« 30. Jan. 1681.

Capituli, a Praeside cum Definitoribus, praemisso de more iuramento (XII, 1.),<sup>1)</sup> Deligendus erat ex Capitularibus, exclusis tamen Secretariis Capituli et Abbatis Generalis finiti quadriennii, itemque Socio Generalis, Definitoribus atque Electoribus (3). Ad hocce munus Praeses proponebat tres Capitulares, Definitores autem duos alios, si volebant, et ex istis pronuntiabatur Secretarius, qui maiorem partem suffragiorum obtinuit; aut senior eorum, si suffragia aequaliter distributa fuerunt (2). Electus statim iuramentum eliciebat adimplendi fideliter atque legaliter munus suum et servandi secretum circa illa omnia, quae in Definitorio pertractabantur.

Pertinebat ad Secretarium Capituli custodia Librorum, in quibus continebantur Constitutiones et Definitiones in Capitulis factae, quas ipsemet scribebat in illis (6, 8) legebatque in singulis Sessionibus et in fine Capituli Generalis (11, XXIV, 5). Si autem Secretarius quid mutabat, addebat vel corrigebat in huiusmodi libris, re comperta, ab officio privandus erat, atque voce activa et passiva in perpetuum (6). Secretarii quoque cura erat Definitiones Capituli prelo subiicere atque earum exemplaria per Monasteria deinde dispertiri (15).

Constitutiones et Definitiones scribebantur in duobus Libris membranaceis; itemque Acta Capitulorum Generalium, (12) alter Liber Constitutionum cum alio Actorum, servandus erat in Monasterio Vallisoletano aut in quo celebratum fuit Capitulum Generale; alii duo custodiebantur in Monasterio Sti Zoyli Carrionensis, ubi etiam reponebantur Bullae ceteraque instrumenta Congregationis,<sup>2)</sup> cuius archivum obserbatur tribus clavibus, quarum una erat penes Abbatem eiusdem Monasterii, altera penes Praepositum, tertia penes Archivarium Congregationis,<sup>3)</sup> et deficiente aliquo eorum, penes seniorem eiusdem Coenobii Carrionensis (13).

## II.

### De Secretario Abbatis Generalis.

Electio Secretarii Abbatis Generalis fiebat quoque in Capitulo iuxta normam supra positam, sed tantum a Definitoribus (XXIII, 4),<sup>4)</sup> qui prae oculis habere debebant, ut nominarent monachum ei acceptum (4), non tamen eiusdem Coenobii professum (5). Hic Secretarius illico iureiurando se obstringebat ad adimplendum fideliter munus suum durante quadriennio secretumque servandum,

<sup>1)</sup> Constitutiones ant. cap. 11.

<sup>2)</sup> Capitulum Gen. 1733 praecepit, ut Archivum transferretur ad S. Martinum Matritensem, quod continuo executioni mandatam est. (Muñoz, § II. n. 2.)

<sup>3)</sup> De Archivario agitur Libro II Constitut. cap. XXIV. n. 2. designabatur a Rmo. Ab. Generali.

<sup>4)</sup> Constitut. antiq. cap. XVIII.

quod in Constitutionibus praescribitur (7). Removeri nequibat ab Abbate Generali absque gravi iustaque causa, et nonnisi auditis Definitoribus Iudicibus, quorum duo saltem in id consentirent (6).

Secretarius fiebat conventualis Monasterii, quod Abbas Generalis ad inhabitandum sibi elegit (1.), eumque semper comitabatur in visitatione Congregationis (8); propterea durante quadriennio carebat voce passiva ad Abbatiam, Praesidentiamve omnis Coenobii et postea in proximo Capitulo Generali ad quodcumque officium (14).

### III.

#### De Socio Abbatis Generalis.

Hic eligebatur ab ipsomet Generali tempore Capituli, aut post illud (XXIII, 2)<sup>1)</sup> ex Abbatibus aut definitoribus praeteritis tantum (3), eratque ad nutum amovibilis. Fiebat quoque conventualis Coenobii, ubi degebat Abbas Generalis, quem sequebatur in visitatione Monasteriorum (8), et tunc fungebatur munere Secretarii pro delationibus Monachorum, quas postea legebat in Capitulo conventuali (10). Propter hoc carebat voce passiva ad Abbatiam, quae vacavit suspensione Praelati tempore visitationis (13); alioquin assumi poterat ad hoc munus, nisi comprehendebatur in exceptionibus, quae per Constitutiones praefiniebantur.

### § VII.

#### De Visitatoribus.

Etsi Visitatio Congregationis pertinebat unice ad Abbatem Generalem, quia saepe multis de causis omnia Monasteria visitare non valebat, provisum est in Capitulis an. 1629—49, atque postea fuit approbatum ab Innocentio XI, ut eligerentur ab omnibus Capitularibus quatuor ex eorum coetu, qui munere Visitorum fungebantur (XX, 1.)<sup>2)</sup> In hac electione servanda erant, quae statuuntur pro eligendis Definitoribus (ibi.), itaque in primo scrutinio pronuntiabantur Visitatores, qui maiorem suffragiorum numerum obtinuerant vel habitu antiquiores (2),<sup>3)</sup> et ipsi etiam servabant inter se gradus suos ad instar Definitorum, post quos eis locus competeat (ibi.).

Quoties Abbas Generalis erat impeditus, quominus visitaret aliquod Monasterium, istis Visitoribus ante quoscumque alios

<sup>1)</sup> Constitut. antiq. loc. cit.

<sup>2)</sup> In Congregationis initio fuerunt duo Visitatores (Alexander VI, Sacrosanctae, 2. Dec. 1496 et »Inter multiplices curas« 7. Mart. 1505. Cf. Privilegia praecipua, pag. 136, 142—44.). Hi aut duo Vicarii eorum debebant Visitare Congregationem post Abbatem Generalem, et tandem Monasterium Vallisoletanum. In antiq. Const. (1611) omittuntur; et Paulus V. »Ex iniuncto« 1611 expresse habet »Septimo, quod non sint Visitatores, nec Suppletore eorum«.

<sup>3)</sup> Capitulum an. 1773 praecipit ut eligerentur ex omni Provincia (Muñoz § I. n. 12).

commissarios visitatio commendanda erat, exceptis Monasteriis Cathalauniae, ad quae, propter locorum distantiam, mittere poterat alios Monachos, iuxta id quod supra suo loco dictum est § II, (3, 4). Visitoribus locus erat in Capitulo Generali, in quo eorum munus exspirabat (2).

### § VIII.

#### De Procuratoribus Generalibus.

Ad negotia Congregationis eiusque Monasteriorum pertractanda eligebantur tempore Capituli duo Procuratores Generales, alter pro Curia Romana, alter pro Regia Matritensi (XXI, s.). Item alii duo pro negotiis in Cancellaria Regia Vallisoletana Regioque Conventu Portus Brigantini.<sup>1)</sup> De singulis pauca.

#### I.

#### De Procuratore Curiae Romanae.

Procurator Curiae Romanae eligebatur a Congregatione unico scrutinio (XXI, 2).<sup>2)</sup> Eligi tantum poterant, a) qui saltem quadragessimum aetatis annum compleverant, b) studia ad Abbatiale munus requisita percurrerant, et c) erant Hispani (4).<sup>3)</sup> In officio perdurabat ad quadriennium, nisi extraordinarie electus, sed eligi poterat iterum in sequenti Capitulo Generali (5). Durante munere, assumi nequibat ad regimen Abbatiale (10) neque ei licebat ab Vrbe discedere, nisi gravi de causa et cum licentia Abbatis Generalis (11); aut ab eo vel a Congregatione vocatus, sed postquam substitutus Romam pervenit (12). Suffragio potiebatur in Capitulo Generali, in quo terminabatur eius officium, etiamsi extraordinarie electus esset (8).

Prohibitum erat Procuratori, sub poena privationis vocis activae et passivae, poscere aut impetrare ullam gratiam, Bullam aut Brevem, nisi quando et quae a Superioribus ei praecepta fuerant (14); neque licebat subditis aut Praelatis supradicta petere, nisi per Procuratorem Romanum, et dummodo Constitutionibus Decretisque Congregationis non repugnarent (ibi.). Ad eundem spectabat etiam solvere Curiae Romanae taxas quinquennales Abbatiarum; propterea ipsi pariter deferendae erant debitis temporibus a Secretario Congregationis, qui eas exigere poterat a respectivis Abbatibus, si hi fuerint remissi ad solvendum (16). Denique, antequam in Hispaniam rediret, rationem computorum ac debitorum successori suo reddere tenebatur (17).

<sup>1)</sup> Capitulum an. 1753 decrevit ut adderetur alius Procurator Generalis pro negotiis Congregationis in Asturibus, et Capit. 1757 praecipit, ut hic Procurator esset Conventualis S. Vincentii Ovetensis. (Muñoz, § I. n. 21, 22.)

<sup>2)</sup> Constitut. antiq. cap. 16, 27.

<sup>3)</sup> Ita decretum fuit in Capitulis 1673—81.

II.

De Procuratore Curiae Matritensis.

Procurator Regiae Curiae Matritensis eligebatur quoque a cuncta Congregatione Capituli Generalis (XXI, 1, 2) iis demque dotibus pollere debebat, quibus Procurator Curiae Romanae (4). Exercebat pariter munus suum per quadriennium usque ad novum Capitulum Generale, etiamsi electus esset extraordinarie ab Abbate Generali et gaudebat voce activa et passiva in dicto Capitulo (8). Poterat iterum eligi (5). Residebat Matriti in Monasteriis Congregationis, et locus ei tribuebatur ante omnes alios monachos (6), atque eximebatur ab officio hebdomadarii et a Missa Conventuali, pluribusque (omnibus fere) actibus conventualibus (7).

III.

De coeteris Procuratoribus generalibus.

Alii Procuratores generales nominabantur etiam tempore Capituli Generalis, sed horum electio pertinebat ad Definitorium (XXI, 17, XXV, 14).<sup>1)</sup> Iuribus et privilegiis aliorum Procuratorum non gaudebant neque ullis praeeminentiiis extra ipsorum Provinciam, nisi aliunde eis competeabant (20). Residebant in loco, ubi aderat Conventus Regius, et censebantur conventuales Coenobii illius loci, si ibi exsistebat, alioquin Domus propriae professionis (21), et subiiciebantur Superiori locali in iis omnibus, quae ad regularem disciplinam pertinebant (22). Dominicis, aliisque diebus festis, et quando vacabant tribunalia, tenebantur assistere ad praecipuos actus Conventuales (ibi).

Procuratoribus huiusmodi nullum aliud negotium assumere aut pertractare licebat, nisi quod a Congregatione vel Abbate Generali eisdem committebatur, neque se immiscere in negotiis saecularium (24). Ad faciliorem negotiorum expeditionem permittebatur eis habere secum procuratorem laicum duosque iuris peritos, de consensu tamen atque approbatione Abbatis Generalis (25).

Hisce omnibus non obstantibus, licitum erat singulis Monasteriis habere proprium Procuratorem ac iuris peritos pro suis necessitatibus peculiaribusque negotiis, dummodo fieret cum licentia Rmi Abbatis Generalis (19).

(Continuatio in fasc. seq.)

---

<sup>1)</sup> Constitut. antiq. cap. 54.